IV. *Vindiciæ Matheſeos Univerſalis* Gregorianæ *contra ſecundos* Abbatis Galloyſii *impetus in Hiſtoria Acad. Scient. An.* MDCCIII.

DUodecim abhinc annis (a) Jacobi Gregorii, Clariſſimi Viri, patrui mei defenſionem ſuſcepi contra calumnias Abbatis Galloyſii, (b) qui & illum & celeberrimum Barovium, quaſi Propoſitiones ſuas de *Transformatione Curvarum* a Robervallio ſurripuerint, apud orbem literatum criminatus eſt. Plurimis tum argumentis oſtendi, quam hæc iniqua eſſet, imo inepta ſuſpicio. Quandoquidem vero eorum famæ nondum parcit Galloyſius, ſed eandem denuo litem redintegrat, (c) ne Robervallium illud, uti ait, illuſtre Pariſienſis Academiæ lumen deſerere, aut illius honori deeſſe ullo modo videatur: me certe non minus decebit, & meæ Gentis cauſam agere, & ſuum Patruo meo decus vindicare, Viro tanti inter Mathematicos nominis, ut ſi eum cu[illegible]rvallio comparem, minime verear, ne qui utrumque norint, me in illius laude non ſatis modeſtum æſtiment. At fuerit ſane Robervallius, quantum fuiſſe eum Socii ejus Academici perhibent, imo quantum ſe Ipſe in poſthumis ſuis prædicat, ubi poſt paginam inventis ſuis numerandis inſumpſam, at *Ego*, ait, (d) *circa Arithmeticam Muſicam Opticam Aſtronomiam Geometriam Geographiam*

(a) *Philoſoph. Tranſact. Nov.* 1694. (b) *Hiſt. Acad. Reg. Pariſ.* 1693. (c) *Hiſt. Acad. Reg. Pariſ. An.* 1703. (d) *Oeuvres des Math. par Meſs. de l' Acad. Roy. pag.* 301.

Plura

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775).* www.jstor.org

Plura quidem feci quam quæ comprendere verbis
In promptu mihi ſit.

Sed illa omnia vulgaria æſtimo : Et pergit deinde per paginam ſeſqui-alteram, nobiliora ſua reperta, quæ Jovis auribus ſervavit, recenſere. Fuerit inquam hic vir quantumvis Egregius, tamen hac ſui opinione, hoc faſtu inflatus haudquaquam proſpera in Italos omnes Mathematicos bella intulit, & tam infeliciter ei ceſſit rerum novarum ſtudium, ut vix unquam inventum aliquod ſuum aperire inceperit, quin idem prius ab aliis vulgatum, ab aliis illius laudem omnem præreptam jam & occupatam ægerrime videret. Ubi ab Italis Cycloidem acceperat, ſtatim in illa (e) *Trochoidem ſuam agnovit, miratus quomodo illa ad Italos pervenerit,* eamque a Galilæo ante annos quadraginta inventam ſibi aſſeruit, ita ad eum modeſtiùs ſcribente Torricellio, (f) *Quoad Authorem hujus figuræ credo ego ingenium tuum acutiſſimum & feraciſſimum obſervare potuiſſe oſtendente neminẽ ; attamen vivunt adhuc teſtes quibus olim Galilæus irritas lucubrationes ſuas communicavit circa hanc figuram, imo ſuperſunt adhuc paginæ aliquot Clariſſimi Mathematici in quibus picturas & aggreſſiones ſuas nonnullas circa hoc ſubjectum jam Adoleſcens delineavit.* Deinde cum communicatum illi a Torricellio ejuſdem *Cycloidis centrum Gravitatis* haberet, idque pro ſuo venditaret, ita queſtus eſt ad Merſennum Torricellius, (g) *Quod certe imo certiſſime ſcio non habuiſſe Robervallium antequam demonſtrationem meam videret, ut Paternitas veſtra vel ipſemet, vel univerſa Europa teſtis eſſe poterit,* & aliâ Epiſtolâ (h) *Quadraturas,* inquit, *ad Clariſſimum Robervallium mitto fortaſſe ad ſubeundam eandem fortunam*

(e) *Ibid.* 279. (f) *Ibid.* 283. (g) *Ibid.* 298 (h) *Ibid.* 297,

cum

cum meo centro Gravitatis Cycloidis. Neque hæc eum fefellit ſuſpicio, quicquid enim in iis novum eſt aut pulchrum (i) ſibi & Fermatio aſſumit, ac ne minimam Torricellio laudem relinquit. Qui itaque cum aliam a ſe inventam Propoſitionem Robervallio mitteret (k) *Oro te*, inquit, *ne inter veſtra hanc etiam habeatis, hoc enim eſſet tollere omne literarum ſcientiarumque commercium.* Ne quid vero novum aliquis in lucem emitteret quod irrepertum Robervallio fuerit, etiam (l) Clariſſimi Cavallerii Methodum Indiviſibilium, integro quinquennio antequam ab eo in publicum prodiret, ſibi notam & uſitatam dicit. Bellum itaque, quod Italis jam diu fruſtraque intentatum fuit, ne miremur ad Britannos demum migraſſe ; nec quod Galilæo, Torricellio, & Cavallerio accidit, id quoque Barovio & Gregorio contigiſſe nimium ægre feramus. Imo potius miramur cur hoc tam ſero contigerit. Septem enim annos poſt editum Gregorii librum vixerat Robervallius. An vero Ille, qui leviſſimam quamq; gloriolam captavit, qui nihil ſibi non arrogavit, nihil cuiquam proprium eſſe voluit, has ſibi propoſitiones ſuas eripi vivens videnſque pateretur. At non viderat, inquit Galloyſius, per tot annos nihil legerat novum, & omnibus ſe inventis ſpoliari facile paſſurus Famæ jam & Matheſi valedixerat. Miror quo ore hæc ſua proferat commenta, quæ tam facile coargui poſſunt. Tantum enim abeſt ut Robervallius ab anno 1668 in ſeceſſu & ab eruditorum commercio remotus degerit, ſtudiaque depoſuerit mathematica, ut in Academia Pariſienſi Matheſeos Profeſſor Anno jam 1670 novæ Stateræ inventionem Academiæ Scientiarum Regiæ communicaret (m) uti Acta eo anno impreſſa teſtantur. Interfuit itaque Robervallius Academicorum conventibus, &

(i) *Ibid.* 298. (k) *Ibid.* (l) *Ibid.* 285. (m) *Journales des Scavans An.* 1670.

ſi ipſe nihil tum legerit, nihil ne tamen de his adeo in Gallia celebratis Gregorii inventis ad illius aures fando pervenit? Nihil horum accepit ab Hugenio (n) qui tam temporis contra Gregorium inter Academicos acerrime diſputavit? Vel ſi nulla illi cum Hugenio, ut Galloyſius dicit, familiaritas interceſſerat (forte quia præcipuam & maxime utilem *ſuæ Trochoidis* proprietatem ab Hugenio inventam fuiſſe dolebat) nihil a cæteris omnibus Academicis per univerſum ſeptennium audire potuit. Aut ſi audiſſet, nihilne queſtus eſſet, ne ipſis quidem Fratribus ſuis & Amicis? Tam fuiſſe eum Gloriæ abſtinentem haud temere quiſquam credet, qui illius cum Italis, cum Suis, cum omnibus rixas intellexerit: aut ſaltem dicet, quantum ab illo mutatus eſt, quem modo ſic locutum audivimus, (o) *Nos ætate aut tempore ſaltem priores ætatis aut temporis beneficia reſpuemus, & junioribus aut ſaltem tempore poſterioribus vivi adhuc relinquemus? Apage ſtultam illam in noſmet ipſos injuſtitiam.* Quod ſi repente factus eſt tam patiens, tam famæ averſus Robervallius, ut ſua omnia aliis tribui facile permiſerit, quæque feliciter invenit, intra ſcrinia ſua latere, quam in lucem prodire maluerit; quî tandem factum eſt, ut hæc ab eo ſumere potuerit Gregorius? Videamus quibus argumentis tretus Galloyſius hanc criminationem denuo urgere pergat. *Primo, inquit, methodum hanc de transformatione curvarum a Robervallio excogitatam in Italia ante annum* 1668 *notam eſſe conſtat, quia Torrecellius qui mortuus eſt An.* 1647 *in Epiſtolis ſuis teſtatur eam ſibi a Robervallio communicatam eſſe. 2do. Hanc methodum cum Gregoriana eandem eſſe invitus fatetur adverſarius. 3tio. Itaque veriſimile admodum videri debet, quod Gregorius dum in Italia peregrina*

(n) *Journales des Scavans An.* 1668. (o) *Oeuvres des Mathem. par Meſſ. de l' Acad. Roy.*

retur, hanc methodum tam diu in Italia cognitam ab Italis habuerit.

Quod Methodus hæc, quæ ſub Robervallii nomine prodiit An. 1692, eadem ſit cum illa quam Prop. XI. Math. Univerſ. jam ante annos viginti quatuor ediderat Gregorius, ſicuti utramque inſpicienti ſatis clarum eſt, ita a me ultro conceſſum fuit. Dixi quidem eam in Gallorum ſcriptis, ubi Robervallio tribuitur, demonſtratione miſerâ & pudendâ veſtitam, ſed non eandem eſſe cum Gregoriana nunquam diſputavi, nullam ex hac parte litem movi, utcunque in ea præcipuam inter nos quæſtionem verſari dicat Galloyſius, meque ſuper eâ manus dediſſe ſerio triumphet. Nondum tamen illi concedo eam vel Italis ante notam eſſe, vel ab iis Gregorio impertitam. Quomodo enim liquet iis fuiſſe notam? Quia eam Robervallius cum Torricellio communicavit. Unde vero hoc conſtat? Ex Epiſtola ipſius Torricellii. Ubi eſt hæc Epiſtola? Apud Galloyſium. Quando ſcripta eſt? Annis abhinc fere ſexaginta. Ubi tam diu latuit? Ubi omnia mirabilia latent, in ipſis Robervallii apothecis. An hæc Epiſtola genuina ſit, multo minus an omnino ſit, in tanta teſtimoniorum luce nefas eſt dubitare. Sed ex quibus literarum monumentis evincitur Torricellium hæc inventa Italis impertitum eſſe? De hoc altum eſt adhuc ſilentium. Vel ſi cui hæc forte impertiit, poterant tamen iterum excidiſſe, & penitus fuiſſe ignota, cum ipſe Torricellius viginti jam annis ante Gregorij in Italiam adventum mortuus fuerit. Aut ſi nondum memoriâ hominum exciderant, dicat ſi poteſt Galloyſius quis Mathematicorum hæc arcana ſibi a Torricellio commiſſa Gregorio oſtenderit. Dicet fortaſſe (quid enim pro arbitrio ſuo non dicet) in Italia multis nota eſſe. An vero Itali Arcana hæc Geometrica quæ per viginti annos nuſquam prodiere, Gregorio demum peregrino crederent? An ille in media Italia (Liber enim ejus Patavij impreſſus eſt) auſus eſſet pro ſuis venditare quæ modo ab Italis didicerat? Vel ſi fuiſſet adeo expers

pers verecundiæ, hoccine fieri potuit, ipſis non modo non reclamantibus, ſed etiam plaudentibus Italis. Mihi quidem hoc non fit veriſimile. Sed judicent, quibus hæc omnia permitto, eruditi, & ignoſcant mihi ſi hæc prolixius proſecutus ſim, ut finem aliquando imponam huic tam jejunæ diſputationi, unde nullum ad Literatos fructum redundare ſperamus. Stemus vero, ſi Galloyſio placet, ipſius Robervallij judicio; Ipſo enim arbitro hujuſce methodi Author habendus eſt Gregorius. Robervallius enim dum *Cavallerij Indiviſibilia* a ſe inventa integro ante quinquennio jactitat, *Cavallerio* interim Authoris laudem relinquit. *Ego*, inquit, *tanto viro tantæ & tam ſublimis doctrinæ inventionem non eripiam; nec poſſum, nec ſi poſſim, faciam. Ille prior vulgavit, ille hoc jure ſuam fecit: ille hoc jure habeat, atque poſſideat: ille tandem hoc jure Inventoris nomine gaudeat. Abſit ut in tali cauſa Interceſſoris ridiculi provinciam mihi ſuſcipiam.* Suſcepit tamen Galloyſius. Ac profecto ſi pergat Illuſtris illius Academici ſcrinia excutere, & inventa, quæ ibi per tot annos dormierunt, expergifacere, atque in lucem protrahere, neſcio quouſque poſthuma creſcet laude Robervallius: aut quid novi ultra noſtri ævi Mathematicis reliquum ſit, quod non pari jure, ac hæc Gregoriana, Robervallio demum arrogari poſſit.